



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Alexander III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ALEXANDER TERTIUS.  
PONTIFEX CLXXII.  
ANNO DOMINI MCLIX.

**A**driano successit Alexander cui oppositus à Friderico Imp. Victor IV. & hoc mortuo Paschalis III. & Calixtus III. Post triennem absentiam à Romanis Alexander fuit revocatus. Fridericum Imperatorem Venetiis pede cervici ejus imposito calcavit usus verbis illis Psalmi: super aspidem & Basiliscum ambulabis. Obiit anno 1182. Pontificatus vigesimo secundo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 40.*)

I.  
Dacher.  
Spicil. T. 3.  
nov. Edit.  
pag. 538.  
An. Dom.  
1165.

Enarrat quomodo à Romanis sit exceptus.

ALEXANDER EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Henrico Remensi, Archiepiscopo ejusque suffraganeis Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**A** nostra vel successorum nostrorum memoria nulle tempore elabatur, quomodo vos in devotione B. Petri & nostra constanter & semper & firmiter persistere, & nobis non modicum honoris & reverentiae curaveritis & larga obsequia exhibere. Unde nos id praeculis semper habentes firmum propositum & promptam gerimus voluntatem, vos sicut honorabiles Fratres, & immobiles columnas Ecclesiae ardentiori caritate diligere, & ad honorem & profectum vestrum & Ecclesiarum vestrarum ferventiori desiderio aspirare. Quia vero vos prosperitatibus Ecclesiae congaudere & plurimum congratulari cognoscimus, praesentium significatione Fraternitates vestrae cognoscant, quod nos diversa maris pericula, & graves hostium & iniquorum incurfus, divina potentia, & Apostolorum meritis evadentes, tandem ad portum salutis pervenimus, & à Senatoribus populoque Romano devotissime invitati, nono Calendas Decembris Urbem intravimus in omni pace & tranquillitate suscepti, & illam nobis, & Fratribus nostris reverentiam honorem & devotionem praedicti Senatores, Nobiles Civitatis, Clerus Populusque Romanus exhibuerunt, qua nulla major alicui antecessorum nostrorum, sicut omnia ora testantur, aliquando exhibitae fuisse probatur. Unde & credimus, & de misericordia Dei speramus, quod in proximo Ecclesia Dei plena pace & prosperitate gaudebit. Rogamus autem Fraternitatem vestram, monemus, & exhortamur in Domino quatenus sicut devotissimi viri ad augmentum & exaltationem Ecclesiae solita devotione intendatis & alios in B. Petri & nostra reverentia exemplo vestro studeatis propensius solidare. Data Laterani VIII. Calendas Decembris.

Dat. VIII.  
Kal. Decembris.

II.  
Ex Arch.  
Angl. Rymer T. I.  
pag. 30.

Templum quod situm est Jerosolymis, variis communit Privilegiis, prohibens ne quis temere praedictum locum perturbet.

ALEXANDER EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis Oddoni Magistro Religiose Militiae Templi quod Jerosolymis situm est, ejusque successoribus & Fratribus tam presentibus quam futuris Regularem vitam Professis in perpetuum.*

**O**mne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; Proinde dilecti in domino filii, de nobis & pro vobis omnipotentem Dominum collaudamus, quoniam in universo mundo vestra Religio & veneranda institutio nuntiatur. Cum enim natura esset filii irae, & seculi voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gratiam, Evangelii non surdi auditores effecti, relictis pompis secularibus & rebus propriis, dimissa etiam spatiosa via quae ducit ad mortem, arduum iter, quod ducit ad vitam, humiliter eligistis, atque ad comprobandum quod in Dei militia specialiter computemini, signum vivificae crucis in vestro pectore assidue circumferitis.

§. 1. Accedit ad hoc quod, tanquam viri Israelitae atque instructissimi divini praesentis bellatores, verae Karitatis Flamma succensit, dictum Evangelium operibus adimpletis, quo dicitur, Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde etiam juxta summi Pastoris vocem, animas vestras pro fratribus ponere, eosque ab incurribus Paganorum defendere minime formidatis; & cum nomine censamini milites Templi, constituti estis à Domino Catholicae Ecclesiae defensores, & inimicorum Christi impugnatores.

§. 2. Licet autem vestrum studium & laudanda devotio in tam sacro opere, toto corde & tota mente desudet, nihilominus tamen universitatem vestram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem, auctoritate Dei & Beati Petri Apostolorum Principis, tam vobis, quam servitoribus vestris injungimus ut pro tuenda Catholica Ecclesia, & ea, quae est sub Paganorum tyrannide, de ipsorum spurcitia eruenda expugnando inimicos crucis, invocato Christi nomine, intrepide laboretis.

§. 3. Ea etiam quae de eorum spoliis ceperitis, fidenter in usus vestros convertatis &, ne de his contra velle vestrum, portionem alicui dare cogamini, prohibemus. Statuentes ut Dominus seu Templum, in quo estis ad Dei laudem & gloriam, atque defensionem suorum fidelium & liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus, & bonis suis quae in praesentiarum legitime habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis praestante Domino poterit adipisci, perpetuis futuris temporibus sub Apostolicae sedis tutela, & protectione consistat.

§. 4. Praesenti quoque decreto sancimus ut vita religiosa, quae in domo vestra est divina inspirante gratia instituta, ibidem inviolabiliter observetur; & fratres inibi, omnipotenti Domino servientes castè & sine proprio vivant, & professionem suam dictis & moribus comprobantes Magistro suo, aut quibus ipse praeceperit in omnibus, & per omnia subjecti & obediendos existant.

§. 5. Praeterea quemadmodum domus ipsa

Edit. An.  
Dom. 1172.

Exordium.

Laudat eos quod ab incurribus Paganorum fratres defendere minime formidant.

Hortaturque ut pro Paganorum spurcitia eruenda expugnando intrepide laborent.

Spoliarum portionem alicui dare cogi prohibet, eosque cum omnibus possessionibus sub Apost. sedis tutela suscipit.

Fratres inibi Dom. servientes castè & sine proprio vivendos Magistro suo in omnibus obediendos statuit.

Domus om-

hujus

ANNO  
1172.

huius sacrae institutionis vestrae, & ordinis fons & origo esse promeruit; ita nichilominus omnium locorum, ad eam pertinentium, caput & magistra in perpetuum habeatur.

§. 6. Ad haec adjicientes praecipimus ut obeunte te, dilecte in domino fili Oddo, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus praeponeatur, nisi militaris & religiosa persona quae vestrae conversationis habitum sit professa, nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel a saniori parte, qui praeponeendus fuerit, eligatur.

§. 7. Porro consuetudines, ad vestrae Religionis & officii observantiam a Magistro & fratribus communiter institutas, nulli Ecclesiasticae secularive personae infringere vel minuere sit licitum; easdem quoque consuetudines a vobis aliquanto tempore observatas & scripto firmatas, non nisi ab eo qui Magister est consentiente tamen saniori parte capituli, liceat immutari.

§. 8. Prohibemus siquidem & omnimodis interdiciamus, ut fidelitates, hominia, sive iuramenta, vel reliquas securitates, quae a secularibus frequentantur, nulla Ecclesiastica secularive persona a Magistro & Fratribus ejusdem domus exigere audeat.

§. 9. Illud autem scitote quoniam sicut vestra sacra institutio & religiosa militia divina est providentia stabilita, ita nichilominus, nullius vitae religiosioris obventu, ad locum alium vos convenit transvolare; Deus enim, qui est incommutabilis & aeternus, mutabilia corda non approbat, sed potius sacrum propositum semel, inceptum, perducere vult usque in finem debitae actionis.

§. 10. Quot & quanti sub militari cingulo & clamide terreni Imperij Domino placuerunt, sibi quae memoriale perpetuum reliquerunt? Quot & quanti in armis bellicis constituti pro Testamento Dei, & paternarum legum defensione, suis temporibus fortiter dimicaverunt, atque, manus suas in sanguine infidelium domino consecrantes, post bellicos sudores aeternae vitae bravium sunt adepti? Videte itaque vocationem, vestram tam militem, quam servientem, atque juxta Apostolum unusquisque vestrum, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Ideoque fratres vestros semel devotos, atque in sacro collegio vestro receptos, post factam in vestra militia professionem, & habitum religionis assumptum revertendi ad saeculum nullam habere praecipimus facultatem, nec aliqui eos fas sit, post factam professionem, semel assumptam crucem dominicam, & habitum vestrae Religionis abjicere, vel ad alium locum, seu etiam Monasterium, majoris sive minoris religionis obventu, invitis sive inconsultis fratribus aut eo, qui Magister extiterit, liceat transmigrare, nullique Ecclesiasticae secularive personae ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

§. 11. Et quoniam, qui sunt Ecclesiae defensores de bonis Ecclesiae debent vivere ac sustentari, de rebus mobilibus, vel se moventibus, seu de quibuslibet, quae ad vestram venerabilem domum pertinent, a vobis decimas exigi, contra voluntatem vestram, omnimodis prohibemus.

§. 12. Ut autem ad plenitudinem salutis, & curam animarum vestrarum nichil vobis desit, & Ecclesiastica sacramenta, & divina Officia vestro sacro Collegio commodius exhibeantur, simili modo sancimus, ut liceat vobis honestis Clericis, & sacerdotibus, secundum Deum, quantum ad vestram conscientiam, ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere, & tam in principali domo vestra, quam

etiam in obedientiis & locis sibi subditis, vobiscum habere, dummodo, si è vicino sunt, eos a propriis Episcopis expectatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii: quod si Episcopi eosdem vobis forte concedere noluerint, nichilominus tamen eos suscipiendi & retinendis auctoritate sanctae Romanae Ecclesiae, licentiam habeatis.

§. 13. Si vero aliqui horum, post factam professionem, turbatores religionis vestrae, aut domus, vel etiam inutiles apparuerint, liceat vobis eos, cum saniori parte capituli, amovere eisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere voluerint, licentiam dare, & loco ipsorum alios idoneos substituere, qui etiam unius Anni spatio in vestra Societate prebentur: Quo peracto, si mores eorum hoc exegerint, & ad vestrum servitium utiles inventi fuerint, tunc demum professionem faciant regulariter vivendi & Magistro suo obediendi: Ita tamen ut eundem victum & vestitum vobiscum habeant, nec non lectisternia; excepto eo quod clausa vestimenta portabunt.

§. 14. Sed nec ipsis liceat de capitulo, vel cura domus vestrae se temere intrinse, nisi quantum a vobis fuerit injunctum. Curam quoque animarum tantum habeant, quantum a vobis fuerint requisiti.

§. 15. Praeterea nulli personae, extra vestrum Capitulum, sint subiecti; tibi quae dilecte in domino Fili Oddo, tuisque successoribus, tanquam Magistro & Praelato suo in omnibus & per omnia obedientiam deferant.

§. 16. Praecipimus insuper ordinationes eorum Clericorum, qui ad sacros gradus fuerint promovendi a quocumque malueritis Catholico suscipiatis Episcopo, siquidem gratiam & communionem Apostolicae sedis habuerit, qui nimirum nostra factus auctoritate quod postulatur indulgeat.

§. 17. Eisdem autem pro pecunia praedicare aut lucro, vosque pro ejusmodi causa, eos ad praedicandum mittere prohibemus; nisi forte Magister Templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse providerit.

§. 18. Quicumque sane ex his in vestro collegio suscipiuntur, stabilitatem loci, conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitae suae, sub obedientia Magistri Templi, postea scripto super altare, in quo contineantur ista, promittant; salvo quoque Episcopis jure Episcopali tam in decimis, quam in oblationibus & sepulturis.

§. 19. Nichilominus vobis concedimus facultatem, in locis sacro Templo collatis, ubi familia vestra habitat oratoria construere, in quibus utique ipsa familia divina Officia audiat; ibique si quis ex vobis, vel ex eadem familia mortuus fuerit, tumuletur; indecens enim est, & animarum periculo proximorum religiosos fratres, occasione adeunda Ecclesiae, se virorum turbis & Mulierum frequentiae immiscere.

§. 20. Caterum decimas, quas consilio & consensu Episcoporum, de manu Clericorum, vel laicorum studio vestro extrahere poteritis, illas etiam, quas consentientibus Episcopis, & eorum Clericis acquiritis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus.

§. 21. Decernimus insuper, auctoritate Apostolica, ut ad quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque catholicis sacerdotibus penitentiam, unctiones, seu alia quaelibet sacramenta ecclesiastica vobis suscipere liceat, ne forte, ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quippiam de esse valeat.

ANNO  
1172.

ANNO  
1172.

§. 22. Quia vero in Christo omnes unus sumus, & non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum quam alterius beneficentiae, atque Apostolicae benedictionis, quae vobis indulta est, etiam familiam vestram, & servientes vestros volumus esse participes.

§. 23. Cum autem fratres vestri, qui ad suscipiendas collectas destinati fuerint, in Civitatem Castellum, vel vicum advenerint, si forte locus ille interdictus sit, in jocundo eorum adventu, pro Templi honore, & eorumdem Militum reverentia, semel in anno aperiantur Ecclesiae, & exclusis excommunicatis divina Officia celebrentur.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat praedictum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur vestris & aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura.

§. 25. Si quis igitur hujus nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

§. 26. Conservantes autem haec omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequantur Amen. Amen. Amen.

III.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 569.

Epistola Alexandri Papae III. ad Joscium Archiepiscopum Turonensem & ejus suffraganeos Confirmat sententiam interdicti latam in Cismarinam terram regis Angliae propter vim illatam S. Thomae Cantuariensi Archiepiscopo.

## ALEXANDER EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Jo. Turonensi Archiepiscopo & universis suffraganeis ejus & Ecclesiasticis personis in sua provincia constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.*

**I**N Apostolicae sedis specula licet immeriti constituti, universorum excessus per nos aut per eos qui sunt in partem sollicitudinis nobis commissae assumti, provida debemus circumspectione corrigere, & singulorum erratibus pontificali moderantia obviare: ne nobis dissimulantibus, vitia videantur virtutibus prevalere.

§. 1. A memoria siquidem nostra non excidit, qualiter pro pace Sanctae recordationis Thomae Cantuariensis Archiepiscopi, cujus anima Deo, sicut credimus praetioso Martyrio dedicata in Coelis cum sanctis habitat, juxta Officij nostri debitum solliciti & vigiles existentes, venerabilibus fratribus nostris Willelmo Senonensi Apostolicae sedis legato & Ro. Rothomagensi Archiepiscopis mandaverimus, ut si Rex Anglorum ei Ecclesiam suam in omni pace & libertate non dimitteret, & ablata non restitueret, nec pacem quam secum fecerat firmiter conservaret, terram ejus Cismarinam interdicto subicerent: & si uterque aliquo casu interesse non posset, vel nollet, alter nihilominus mandatum nostrum studiosus adimpleret.

§. 2. Quia vero praenominato Ro. Rotomagensi nolente mandatum nostrum exequi, id per jam dictum Senonensem est adimpletum, nos de communi fratrum nostrorum consilio, sententiam quam idem Archiepiscopus de mandato & auctoritate nostra in totam terram Cismarinam praedicti regis Angliae protulisse dinoscitur, ratam & firmam habentes, & eam auctoritate Apostolica confirmantes, universitati vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, & in virtute obedientiae sub periculo ordinis & Officij vestri praecipimus, quatinus eandem sententiam in terra quae est in ditione memorati Regis, usque ad dignam satisfactionem firmiter, & inviolabiliter observetis, & ab aliis faciatis inviolabiliter observari: nec aliquis vestrum eam relaxare, vel contra ipsam sine mandato Romani Pontificis vel legati ab eo destinati divina officia celebrare praesumat. Data Tuscul. II. Idus Maij.

De matribus quae prolis suae procurant interitum: de incestis, & alia feoda libidine: de iis qui cum sicca faece vini, & micis panis vino intinctis, Missam faciunt: de matrimoniis sine sacerdotali benedictione factis.

## ALEXANDER EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, Upsellensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus.*

**V**ICE beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, *Speculatorem te dedi domui Israel*, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolicae sedis specula constituti: pontificalis officii debito pro universis compellimur sollicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam saevissimus leo circuit quaerens quem devoret, pastoralis providentia obviare, ne gregem Dominicum invadat, & diversis eum vitiorum moribus laceret. Inde est, quod vehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, audit quod in partibus vestris in tantum libido crudelis & turpis excreverit, ut quaedam mulieres prolis suae procurant interitum, earumque corruptores tam horrendo & detestabili facinori, non solum consentire, verum etiam persuadere praesumant: & alii incestuosa conjunctione, plerique cum jumentis abominanda se pollutione commaculent. Quae quantum sint gravia, & creatori nostro penitus inimica, ipsa sceleris atrocitas satis demonstrat; quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere.

Si enim qui jactato in terram semine prolem volebat ex uxore suscipere, percussus a Domino testamenti veteris serie dinoscitur: qua poena feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mavult interire quam vivere? Cujus utique criminis poena, illud etiam persuadentes vel consentientes involvi, beatus Augustinus ostendit dicens: *se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas existere, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum consilium & fraudem & exhortationem, homines extinguunt. Nam Judaei Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: *Nobis non licet interficere quemquam. Sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipsi eum lingua interfecerunt dicentes: Crucifige, crucifige eum.**

Incestum vero quantum sacri abhorreat cano-

ANNO  
1172.

IV.  
Ex Labbe  
Tsm. X. Col.  
1263.

ANNO  
1181.

nes, concilium Ilerdense demonstrat: Cum  
his, inquit, qui incestus se pollutione commu-  
culant: quamdiu in ipso detestando & illicito  
carnis contubernio perseverant, nec fumere  
cibum ulli Christianorum, sicut Apostolus  
iussit, licebit. Porro scelus cum jumentis co-  
munitum quanta sit animadversio plebendum,  
legislator Moyses declarat, cum etiam ipsa inter-  
fici animalia jubeat, quæ tali contaminata flagi-  
tio indignam refricant acti memoriam.

Quia igitur abominabilem horum excessuum  
præsumptionem severa satis districtio congruit  
insequi: prædictos propriæ proles necatores, &  
tam ipsam facinus persuadentes, quam consen-  
sientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre,  
filia, consobrina, vel nepte agentes, quam cum  
jumentis coeuntes, artiori penitentia jugo cure-  
tis compescere: & nisi senio confecti, vel corpo-  
ris fuerint debilitate seu egestate oppressi, eos ad  
sedem apostolicam compellatis venire, & beato-  
rum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare  
ut in sudore vultus sui, & viarum labore, su-  
perni iudicis iram evadere, & ipsius misericor-  
diam valeant invenire.

Ad hæc qui dormiendo, non voluntate, sed  
casu filios suos oppressisse inveniuntur: triennio  
si iidem filii fuerint baptizati; si vero absque  
sacro baptismate decesserint, quinquennio peni-  
tentia disciplinæ subiaceant. Sacerdotes, quos  
ab his studiosus præcavere convenit, officii sui  
perpetua executione priventur. Verum si qui pa-  
rentum absentes fuerint quando eorum filii suffo-  
cantur, aut si id sub aliena custodia contigerit:  
extra culpam erunt: si tamen eos non furiosæ,  
sed congruenti custodia ipsos se crediderint  
tradidisse.

Præterea non sine cordis amaritudine quosdam  
sacerdotes contra apostolicas institutiones, cum  
sicca facie vini, vel cum micis panis vino intinctis,  
Missam celebrare audivimus: & fideles lai-  
cos non Christiano more, & fideles sacerdotali be-  
nedictione & Missa, matrimonium contrahere.  
Unde sæpe illicita contingit fieri conjugia, & in-  
ter legitimas personas divortium intervenire  
Sane cum omne crimen, atque omne pecca-  
tum oblati Deo sacrificiis deleatur: quid de cæ-  
tero pro delictorum expiatione Domino dabitur,  
quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum  
enim magister veritatis, discipulis suis sacramen-  
tum commendaret nostræ salutis: non siccam fac-  
cem vini, non micas panis vino intinctis acce-  
pit, sed panem & calicem, & benedicens de-  
dit discipulis suis. Quia igitur secus agere, Evan-  
gelicæ & apostolicæ doctrinæ contrarium, &  
consuetudini Ecclesiasticæ penitus est adversum:  
apostolica prohibemus autoritate, ut cum sicca  
facie vini, vel cum micis panis vino intinctis,  
vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de  
cætero sacrificare atretet: sed secundum formam  
sacro sanctæ Ecclesiæ Romanæ quam vos in omni-  
bus imitari oportet, solum panem & vinum  
aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis  
Christi offeratis.

Cæterum clandestina, & absque sacerdotali  
benedictione non debere contrahi conjugia, aut  
nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum  
gradum nulla consanguinitatis linea conjungantur:  
nec contracta, nisi canonice & consensu  
Episcopi dissolvi: multorum sanctorum Pa-  
trum declarat auctoritas. Vos itaque muniti sanc-  
torum Patrum sanctionibus & ecclesiasticis insti-  
tutis, hæc quæ dicta sunt, diligenter servate,  
& ab aliis præcipite inviolabiliter observari: dif-  
fensationis moderamine utentes, ut qui in quin-  
to vel quarto gradu conjuncti sunt, eos non se-  
paretis, sed ne amplius taliter conjungantur,

pontificali autoritate & districtioe prohibeatis  
Datum Tuscul. v. Idus Septembris.

## LUCIUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXXIII.

ANNO DOMINI MCLXXXI.

Lucius III. Lucensis, Hetruscus, Ubal-  
dus Allucingolus Bonagiuntæ Mordii  
filius, ex Canonico Lucensi, Presbiter Car-  
dinalis tit. S. Praxedis ab Innocentio II.  
& Episcopus Ostiensis, & Veliternus ab  
Hadriano IV. factus, creatus Romæ quarto  
Kal. Septembris, & coronatus 3. Kal. anno  
1181. sedit annos 4. menses 2. dies 28.  
Creavit Cardinales 15. Obiit Veronæ 7.  
Kal. Decembris 1185. Corpus ejus in Ca-  
thedrali Ecclesia sepultum. Non vacavit  
sedes. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I.  
hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 47.*)

Templariis Privilegia ab Alexandro concessa  
confirmat.

## LUCIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis Arnal-  
do Magistro religioso militiae Templi,  
quod Jerosolimis situm est, ejusque fra-  
tribus tam presentibus quam futuris in  
perpetuum.*

OMNE datum optimum, & omne donum  
perfectum de sursum est descendens à Patre  
luminum, apud quem non est transmutatio, nec  
vicissitudinis obumbratio. Proinde, dilecti in Do-  
mino filii de vobis & pro vobis omnipotentem Do-  
minum collaudamus, quoniam in universo mun-  
do vestra religio & veneranda institutio nuntiatur.

Cum enim natura essetis filii iræ & sæculi  
voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gra-  
tiam Evangelii non surdi auditores effecti, reli-  
ctis pompis sæcularibus, & rebus propriis,  
dimissa etiam spatiosa via, quæ ducit ad mor-  
tem, arduum iter, quod ducit ad vitam, hu-  
militer elegistis, atque ad comprobandum quod  
in Deo militia specialiter computemini. signum vi-  
vificæ crucis in vestro pectore assidue circum fertis.

Accedit ad hoc quod tanquam veri Israelitæ,  
atque instructissimi divini prælii bellatores, verè  
charitatis flamma succensi dictum Evangelicum  
operibus adimpletis, quo dicitur, majorem hac  
dilectionem nemo habet quam ut animam suam  
ponat quis pro amicis suis. Unde cum summi  
Pastoris vocem juxta, animas vestras pro fra-  
tribus ponere, eosque ab incurribus Paganorum  
defensare minime formidetis, & cum nomine  
censeamini milites constituti estis à Domino Ca-  
tholicæ Ecclesiæ defensores, & inimicorum Chris-  
ti impugnatores.

Licet autem vestrum studium & laudanda  
devotio in tam sacro opere toto corde, & totâ  
mente desudet nichilominus tamen universita-  
tem vestram exhortamur in Domino, atque in  
peccatorum remissionem auctoritate Dei, & Bea-  
ti Petri Apostolorum Principis, tam vobis quam  
servitoribus vestris injungimus, ut pro tuenda  
Catholica Ecclesia & ea, quæ est sub Paganor-  
um tyrannide, de ipsorum spurcicia eruenda,  
expugnando inimicos crucis invocato Christi  
nomine intrepidè laboretis.

ANNO  
1181.

i.  
Ex Archiv.  
Angl. Ry-  
mer. Tom. I.  
pag. 84.